

EXEGESIS.

Duo probare debet primus Actor : I. *Dominiū*, nempe rem istam jure domini ad se pertinere, & illam se habuisse in numero suorum bonorum. (2) *Furtivam subtractionem*, quod nimirum res istæ sibi furto fuerit ablata. Nec sufficit ; si probaverit saltem dominium, non tamen furtivam subtractionem simul legitime ostenderit ; quoniam fieri potest, ut multis modis res alicujus desinat esse propria, utpote, vendendo, donando, permutando aut aliis legitimis alienandi modis. Interea tamen, si Actor dominium legitime probaverit, rei clandestinam subtractionem probare poterit jurejurando, quod in subsidium aliarum probationum omnino admittendum est. Vide Mascard. *Vol. 3. Concl. 833. num. 1. f. 552.* Qui ait : quod in tali casu standum sit juramento querelantis seu actoris : nec non æstimatio & pretium rei furtivæ juramento actoris probari possit. Adde etiam Mascard. *Vol. 2. Conclus. 830. fol. 533. de Probat.* Inde si Actor juramento probaverit rei suæ furtivæ ablationem, restitutio istius cum sumtibus litis decernenda est.

Quod si tamen reus probare velit : rem istam à domino antea esse alienatam ; & deinde eam se justo & legitimo titulo acquisivisse, tum cum illa probatione antequam juret actor, admittendus est. Postquam autem passus est ex decreto judicis actorem jurare, ad ulteriorem probationem ei non patet aditus, quoniam causa semel jurejurando decisa non potest nec debet amplius suscitari, ne via sternatur ad perjurium. Et aliàs, ubi juratum, non amplius superest quæstio ; Quomodo juratum sit, sed quod juratum, & causa jurejurando decisa sit.

ARTIC. CCIX.

Rei furtivæ, aut vi possessæ nullam esse usucapionem.

Gestohlene Güter werden nicht verjähret.

Wird kan an solcher gestohlener oder geraubter Haabe/durch einige Länge der Zeit kein Gewehr erfessen werden : Könnte aber der Ankläger sein gebührende Weisung/wie obstehet/nicht vollführen/sollen alsdann die Antworter ledig erkennt werden/und ihn die Be-
flag-